Mazurkowic Valent. Ioannis: Gemma pretiosis-
sima D. Casimirus Princeps Regni Polon.

69

GEMMA PRETIOSISSIMA
D. CASIMIRVS
PRINCEPS REGNI POLONIÆ
ET
PATRONVS
PERILLVSTRI ET ADMODVM REVERENDO PATRI
P. CASIMIRO SZVLC
ORDINIS SANCTI SPIRITVS
DE SAXIA
PER POLONIAM PROVINCIALI
Præposito Conventus & Hospitalis Cracoviensis dignissimo.

Inter faustas natalis diei comprecationes, officiosi muneris ergò

A

M. VALENTINO JOANNE MAZVRKOWIC
Vniuersitatis Cracouiensis inter Collegas Minores Professore.

Breuibus elogijs, epitomen vitæ continentibus,

EXHIBITVS.

Anno Virginei Partus 1668. Mense Martio.

CRACOVIÆ,
Apud Stanislaum Petricouium, S.R.M. Typogr:

25. y.

CRUCI CANDIDÆ
ANTIQVISSIMO ORDINIS
S. Spiritus de Saxiâ Stemmati
d. c. q;

CRux ô futuræ pignus ingens gloriæ;
Grandis voluptas Cælicarum mentium.
Mentisq; nectar tetricæ suauissimum.
Mors ipsa mortis, lucis & fons fulgidæ.
Telum coruscum, stratus à quo Tartari
Hostis tremendus, plorat occasum suum.
Ambita sedes, Hospiti mundi Deo.
Lignum beatum, quod pias mentes beas,
Semperq; faustas temperas rerum vices.
Quantis necesse est affluant illi bonis,
Qui vota mundi deserentes turgida,
Prompti volarunt ad Tuum celsum iubar.
Spretisq; secli perfidi fallacijs,
Victrice pugnas sub Tuo signo cient:
Faucesq; sæuas triplicis monstri premunt.
Tu lecta qualis Pneumatis Sancti cohors
Proles amoris feruidi verissima;
Ignis Gemelle perditæ bonæ spei;
Et indigentum mite diversorium.
Te non adurget, sortis insanæ lues,
Quæ tot peremit toxico blando viros.
Sed cor TVORVM percoquit feruens sitis,
Vt solis instar sola regnet charitas;
Duris medendo casibus iacentium:
Factisq; Christum candidis vt exprimant.
Qui tot malignis non obiratus dolis,
Mortale struxit quos sibi procax genus,
Dilexit illud ad necem diræ Crucis.
Hinc illud expectat Tuos magnum decus
Quod nunciauit vocis æternæ fides.
Quod his ministrâ commodabit dexterâ;
Et lecta Christus instruet conuiuia;
Qui pauperû nunc consulunt in cômodis;
Lætique cum Christo suas portant Cruces.
Quos inter ô par dulce dum vos contuor,
Casmire fulgens Ordinis sydus Tui.
Et Tu meum cor, portio vitæ meæ
Lamberte Plesczyni, cui mens aurea.
Moresque purâ puriores sunt niue,
Et tortuosas nesciens pectus vias.
Quis vos negabit Numini carissimos,
Quis non vocabit millies & amplius,
Felicitatis compotes ipsissimæ:
Vltrà senectam nil morantis temporis,
Ad vsque Metam lucidæ cæli plagæ.

PERILLVSTRI ET ADMODVM REVERENDO PATRI

P. CASIMIRO SZVLC

ORDINIS SANCTI SPIRITVS DE SAXIA PER POLONIAM PROVINCIALI Præposito Conventus, & Hospitalis Crac: meritissimo.

Auctor Felicitatem.

INclyte vir nostræ nunquam reticende Thaliæ
Et Phœbo semper vir pretiose meo.
Cui florent vultu, venerandæ lilia mentis,
Ridet & in niueis, gratia viua genis.
Candor amanus habet pectus, facundia linguam,
Occupat excelsum Consus & ipse caput.
Cor genuina colit Pietas, & feruor honesti,
Affunditq; foris se, grauitatis honos.
Quas in Te *dotes cum longi temporis vsu*
Cerneret ætherei Pneumatis alma cohors:
Te *sibi concordi præfecit voce,* Tuisque
Auspicijs, Sancti culmen honoris adit.
Quàm mea sollicitæ versârunt pectora curæ
Cordeque quot vigili feruida vota tuli.
Dum Tibi *natales lux festa resuscitat ortus,*
Inchoat & vitæ, stamina fausta Tuæ.
Dum CASIMIRVS *adest, cæli nitidissima lampas,*
Quæ Tibi *mellifluos, spargit ab axe dies.*
Nempe Tibi *toties vinclis innexus amicis,*
Totque Tuæ *referens, munera larga manus.*
Extra me rapiebar amans, torrebar ab æstu
Quæ Tibi *tam merito, munera grata darem.*

 Iam

Iam mens cæruleis mergi cupiebat in vndis:
Et vel ab insano promere dona mari.
Noxia iam Phrygij placuerunt vota Monarchæ:
Arsi iam Minyæ vellera fulua cutis.
Iam me Sidoniis sistebant somnia terris,
Implebatque meos aurea gleba sinus.
Iam quoque gemmiferi retinebant littora Gangis,
E quibus efferrem xenia danda Tibi.
Sed mea vota tamen, studium ludebat inane,
Pauperies nostro, solaque visa lare.
Quid dubijs facerem votis collisus vtrinque,
Cùm traherer validè, retraherer que simul.
Suspexi tacito labentia sydera Cælo,
In quibus haud tenuis numinis aura micat:
Cum vidi quiddam niue purius, & face maius
Quod visum solis concolor esse faci.
Hic CASIMIRVS *erat, memini, vultusque notaui,*
Viuaque nunc animo, fulget imago meo.
Et quid ait dubitas, me Tu *pro munere mitte,*
Si placeant gemmæ, sum mera gemma poli:
Et mihi se liquidæ fundunt de pectore flammæ:
Lacteus & puro manat ab ore nitor.
Dixerat: at gelidus mihi tunc per membra cucurrit
Sanguis; vox linguam deseruitque suam.
Mox simulac hærens animus, noua gaudia cepit,
Exilij niuea munera lucis habens:
Quæ pretium superantque Tui *Cleopatra monilis,*
Quæ vincunt Gazas Indica terra Tuas.
Inclyte vir, quàm Te *superis edixero gratum,*
Cui venit in placitos tam proba gemma sinus.
Hæc Te *vel medijs pelagi seruabit in vndis,*
Ne laceret nauim, sors inimica Tuam.
Hæc Tibi *letiferi depellet toxica Morbi.*
Fiet & extremis, hæc panacea malis.
Hæc erit in rebus scutum clypeusq; tremendis:
Illæsumque Tuum *pro teget ista caput.*
Sis igitur felix, cape munus, dilige dantem.
Gemmeus es, similes Nix decet ista manus.

DIVI CASIMIRI PRINCIPIS POLONIÆ.

ELOGIVM I.

Gemmas in Nidis Aquilarum reperiri;
Vetus eſt, & clariſſimis probata experimentis aſſertio.
Hoc agente naturâ,
Vt Principis auium thalamus,
Specioſo pretioſoque iſto monili ornaretur.
Quaſi nefas ſit, nobilis Alitis natales,
à priuato cæterarum ortu, Fortunæ quoque muneribus non diſcerni.
Commune hoc Aquilarum priuilegium:
Feliciſſimus Aquilæ Polonicæ nidus,
Regia IAGELONVM Familia.
Tantò auguſtiùs, vltrà omnem hominum admirationem ſupergreſſa:
Quantò amplius eſt;
Non inani & breui duraturo tinnitu cenſeri;
Sed verâ ſerenâque luce radiare.
Quotquot ea bono ſpeique publicæ nobiliſſimos partus edidit:
Tot ſelectiſſimæ, mirifico cælaturæ artificio nitentes,
Fuêre Gemmæ,
In quibus,
non, vt olim in Pyrrhi Achate, ſpontè naturæ diſcurrentibus maculis,
impreſſa Muſarum, & ſapientiæ ſpecies cernebatur.
nec, vt in Scipionis Æmiliani; aut Syllæ Dictatoris annulo:
certamina victoriæque, de hoſtibus ſuis notabantur ſculptæ:
nec, vt in tertio Pompeij triumpho, veneratus eius cunctis gentibus,
radiabat vultus.
Sed viuæ virtutum, Martijque pectoris ſpirabant ideæ.
VLADISLAI, CASIMIRI, ALBERTI, ALEXANDRI,
SIGISMVNDI, FRIDERICI,
exiguâ vitæ periodo,
immenſum gloriæ campum, vltra Solis metas emenſi.
Omnes,
Magnanimi Heroes, nati melioribus annis,
Omnes,
Illuſtres animæ, magnumque in nomen ituræ.

Nomina in Polonicis Fastis radiantia.
Quorum meritò assurgat gloriæ,
Quidquid vspiam ingentium virtutum, publica felicitas,
communi orbis saluti propitia benignaque, educauit.
Perpetuum hîc agi diem crederes:
Ita nemo non, ad augustissimam lucem, plenissimo iubare refulsit.
Certatim proinde,
à cunctis vicinis gentibus exambiti;
Nec tam ad sceptrorum vices; quàm communicandam claritatem euocati;
HVNGARIAM, BOHEMIAM, POLONIAM,
quà clementiæ lumine, quà fortitudinis flammâ;
Dum & Ciuium leniùs animos fouent; & hostiles acriùs vrunt:
Amabiles simul, & terribiles,
illustrârunt.
Ex hoc siue siderum polo, siue Gemmarum nido,
Gemmam nostram. D. CASIMIRVM IAGELLONIDAM
Destinatam generis humani commodo, illibatam proferre indolem par fuit,
Quod
vbique quidem insignes ac heroicæ virtutes promineant, emineantque:
sed augustiùs tamen in magnis fortunis.
Et ex magni generis fonte,
Illimes nobilium functionum aluei,
vberiùs largiusque diffundantur.
Et certè tantus natalium splendor
Non in vitrum incidit, quod acceptum fulgorem recipit, & transmittit statim;
Sed in gemmam,
quæ tantò eum reflectit validiùs; quantò potentiùs illustratur.
Haustam à Maioribus gloriam,
Diuinis suprà hominem factis, non æquauit tantùm; sed propè obscurauit:
Si quis in tantâ luce, vmbris esse locus potuisset.
Ad exemplum Maiorum se componens; profecit ad miraculum:
Dumque probitatem illorum æmulatur; factus est probitatis prodigium.
Felix nascendi origine;
Sed progressu vitæ felicior:
ipse sibi vitæ amussis, virtutis norma, perfectionis exemplar:
Hanc solam veram iudicauit claritudinem;
Si lux Parentum, in se velut in compendio collecta,
Totum magnæ virtutis splendorem, in Posteros euibraret.
Nempe gemmis peculiare est,
Parentis sui antelucani roris, niueas guttas, purissimo nitore,
Non referre tantùm; sed superare.

ELOGIVM II.

Non inuideo Opalo Gemmæ, multiplicis fulgoris decus,
Quòd in eâ Carbunculi tenuior ignis,
Amethysti fulgens purpura,
Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili misturâ lucentia,
Curio-

Curiosos oculos contineant, & aduertant.
Gemma nostra lectissima,
Singularis in singulis perfectionis partibus, in magnis maxima,
in exiguis quoque, eximia & præcellens;
Dubium reddit, fontemne lucis coronet? an emittat?
Nusquam non lucida;
In Religionis tamen Pietatisque negotio,
vsque in flammas exarsit.
Vt se Aquilini nidi, genuinum partum, & sobolem ostenderet;
Primò cælum versus intuitu,
Solis increati tersissimum circumspiciens vultum,
in eo aciem irretortam fixit.
Assiduus in templo, in aulâ rarissimus,
Nisi, cùm se publica necessitas, vel miserorum preces euocarent:
Gemmeum quoddam horologium videri potuit;
in quo omnes Sensuum rotulæ, ad sui laudem Conditoris,
perpetim irrequietos cursus euoluebant.
Aucta exhinc cum Superis suauis conuersatio,
Totum in eo terrenæ voluptatis extinxit gustum.
Vt quamuis cum hominibus viueret, hæreret tamen origini suæ.
Humanisque rebus haud aliter interesset;
Quàm vt radij Solis, qui contingunt terram; à Sole tamen non recedunt.
Clarescentem calescentemque tali luce,
Templorum pauimenta hyberno torpentia gelu,
Eius in oratione strati à contactu æstuantia,
Satis superque prodebant.
Quin & ipsæ lacrimæ;
quas pii cordis affectus, deuotis in contemplationibus eiiciebat.
Vt non solus tantùm Iaspis, quem pæderota vocant;
Sed gemma quoque nostra,
Singulis noctibus maduisse videretur.
Ex his pretiosissimis guttis,
Mare vitreum simile crystallo;
id est purissimum pœnitentiæ lauacrum lapsis, niueæ dilectionis candor pijs
Concrescebant.
Soli contumaces Schismatici,
Pelion & Ossam in cælum; præruptos errorum montes congerentes:
Gemmam nostram Cerauniam,
Expugnatricem & fulminatricem sunt experti.
In eos enim ignes & fulmina iaculatus D. CASIMIRVS:
graui apud Serenissimum Parentem intercessione effecit, ne eis plùs liceret.
Hinc delubra eorum, non aliud esse persuasus;
quàm impiæ temeritatis vestibula, & erroris fulcra,
Vetustate ruentià, ne restaurarentur; seuerum edictum impetrauit.
Credens meliùs à tenebris calcatæ superstitionis.

Veræ pietatis intendi lucem,
Sicque magnificentius, veræ Religioni,
Trophæum erigi;
cùm è collectis, prostratæ superstitionis vastis ruderibus, & ruinis, excitatur.

ELOGIVM III.

Securus hoc pietatis initio,
irrequietæ Sanctitatis, indefessus Cultor;
Ad rubentem sese, patientiæ purpuram conformauit.
Hæc certè ipsi
Per medias immota acies, variosque tumultus.
Ingeniosam sapientiam ratus,
Ipsa mala & dispendia, in compendium, dum licet vertere.
Licet nunquam contrà hostile processit ferrum;
Domesticâ tamen διαμαστιγωσί, Sparthanæ non absimili,
Contra incurrentes, infernalis Hostis, insultus, semper sese obfirmauit.
Sui vnius seuerissimus Censor Accusatorque;
Nō asperrimè tātùm se in minimis coarguebat maculis; sed acerrimè affligebat.
Optimè sciens, voluntarium sui tormentum, vitæ fomentum esse.
Nec aliud afflictionem corporis; quàm salutis antidotum.
Verus Pacis Parens; quia verus Patientiæ filius.
Nacta talem animam magna virtus,
quid non in virili, Patientissimi Iuuenis pectore, fuit ausa.
Ductum sub iugum heroicæ Rationis,
Seruile passionum agmen.
Somnus vigiliâ fatigatis cadentibusque oculis, vix permissus.
Indictum paupere victu ventri bellum;
Exiguâ Cerere naturæ desiderium sedatum;
profluente pulsa sitis, reliqua naturæ necessitas malignè leuata:
Rubentes gemmæ nostræ fuere colores.
Quos ille, cùm toties suæ purpuræ affudisset;
Fecit eam dibapham, ac planè bis tinctam;
quâ principalis generis; quà multiplicium virtutum ornamentis.
Dicat ergò nunc Romanus Sophus;
Sub regali purpurâ fasciâque
multùm latêre mali.
Nos gemmæ nostræ,
Probatissimam purpuram opponemus;
Rigidæ tincturâ innocentiæ, delicatis aliorū pannis, ex alto ruborē suffundētis.

ELOGIVM IV.

Per secretas innocui pectoris stricturas,
Ampliori luci proludenti,
Maiora sese decora, certatim affundere visa; cùm se publico committebat.
Nempe benignissimus Princeps;

Cùm

Cùm ſe vnum.
quà cilicijs in ſe armatus, quà flagellis,
ad vſque ſanguinem, implacabili odio, proſequi videretur.
Ne tamen, ſolo in ſe rigore nimio horreſceret;
Smaragdi pulchritudine cenſeri voluit,
Viridi lenitate, aliorum laſſitudinem demulcentis.
In Gemmâ Aſteriâ, nobilem naturæ luſum, miratur Carmania:
Quòd incluſam lucem, pupillæ modo, quandam contineat,
ac transfundat cum inclinatione.
Diuus Noſter CASIMIRVS
ingerebat inferebatque ſeſe, in ipſas indigentium cogitationes:
& ex ipſo eorum habitu, ſilentio, triſtitiâ, notas legebat paupertatis.
Verè ocularis gemma:
Quòd in eâ quoque, vt pupillâ,
miſeriæ alienæ, ſui ſpeciem imprimebant:
ſed vt miſericordiæ lucem reflecterent.
Modeſtiſſimo ingenio,
cùm titulos omnes, Regiaſque ſperneret dignitates,
Hunc tamen, crebris in omnes officijs, ambiuiſſe viſus eſt:
Ne ſolus Titus, Amor & deliciæ generis humani vocaretur.
Apud eum,
Nemini pro felicitate ceſſit, ianitoribus innotuiſſe.
Blandus affatu, mitis aſpectu, comis alloquio, promptus officio,
Gratiarum omnium Promicondus.
Optimè perſuaſus, quidquid in naturâ generoſum eſt,
eſſe ſimul mite ac benignum;
vt ſol & dies, non parte aliquâ, ſed ſtatim totus;
nec vni aut alteri, ſed omnibus;
in commune ſeſe proferebat.
Terminalis planè publicæ calamitatis rupes
Ad quam, cùm alienæ perueniſſent miſeriæ, non plus vltrà ſæuiebant.
Si nimius rigor legum emolliendus eſſet, clementiſſimus;
Si iuſta parentis ira expugnanda, leniſſimus;
Si ſumma poteſtas temperanda, moderatiſſimus;
Si ærũnæ pauperũ, nõ ſurdo verbere animũ vaſtãtes abigendæ, perſpicaciſſimus:
Liberalitate, conſilio, comitate,
Magnitudine, munificentiâ, maieſtate,
Iudex & Patronus, Dominus & Pater, magnanimus & benignus,
nec attentus quid poſſet; ſed quantùm prodeſſet:
Tam celeriter ſuccurrebat;
Quaſi ad inſtar Prothei in omnes benignitatis formas ſubitò commigraret.
Vſque adeò hæc bonorum MAXIMA eſt;
Serò eum dediſſe beneficium qui roganti dedit;
Illudq; tantùm iucundum & victurum in animo eſſe, quod obuium fuit.

ELOGIVM V.

Suprâ suæ alienæque fortunæ iniurias radianti
Restabat vt non humani fulgores ad hærerent.
Ferat istam præcipuam emeritæ laudis prærogatiuam,
Iasponyx gemma;
Quòd nubem complexa, & niues imitata, stellata rutilis punctis sit.
Censeatur Garamantites in selectissimo Gemmarum censu;
Quòd in translucido eius corpore, stellantes intus fulgeant aureæ guttæ,
Stellarum Hyadum, & numerum, & dispositionem referentes.
Quantò illud in Gemma nostrâ,
accuratiùs prædicandum;
Quòd in eâ
non paucæ nitentes stellulæ; sed totus rutilabat polus.
Raro quidem dies, ab ortu in occasum, migrat sine nube.
Splendor tamen Vitæ Diui CASIMIRI, quia vitij labe non fuit infuscatus, caliginem non contraxit.

In eo

Stoicum illud Paradoxum veritatem inuenit tandem:
Talis est Sapientis animus; qualis mundi status super Lunam;
Semper illic serenum est.

Cùm enim ad vsque magisterium profecisset innocentiæ;
Exiguæ lucis argumentum esse interpretans;
Ex confuso obscuroque relucere.
Totâ vitâ suâ nil ampliùs egit;
Quàm vt totam diuinam lucem, totus lucidus hauriret.
Inde iam maior, ac spretis creperæ lucis, angustis rimulis, illustrior;
Virtutibus vt stellis innumeris refulgebat.

Demissione, cuius exemplo, inflatum alienæ mentis tumorem deprimebat.
Prudentiâ, quâ in altitudinem circumspectionis conditus, singulorum à se exigebat rationem.
Fortitudine, quâ luxui extraneus, ibi indurabatur, vbi cæteri mollescebant.
Grauitate, quâ venerationem sui, adulationi intactus, è proximo intendebat
Moderatione, per quam nimia quod superfluant rescindens, exiguo paratu vixit.
Candore, vt congenitum nitorem, nec minimæ fraudis atomo deturpârit.
Probitate, cuius artificio, in alienâ famam inuolantes, diras Harpyias depellebat.
Continentiâ, quâ velut Æolus tridente, sensuũ luctantes procellas comprimebat.
Lenitate, ob quã contumelias illatas sibi non agnoscere maluit; quàm ignoscere.
Verecundiâ per quã ceu speculũ testis integerrimi cordis natiua micabat flãma.
Mansuetudine, quâ cum omnibus sociare curas, miscere sermones, dissimulato principali fastigio lætabatur.

& quid attinet numerare innumera:
Immensam earum seriem, oculis subijcere cupis,
Mellitum illud expende Marianum melos;
in quo Gemma nostra non vlteriùs Cæli speciẽ repræsentans;
sed ipsa Cælum;

Vin-

Vinctos numeris Poëticis, in laudes Marianas, voluens circuitus;
non Pythagoræ tantùm effato fidem fecit:
Cælum dum voluitur, suauissimo superis resonare cantu.
Sed sibi ipsi
Basilicum dependit testimonium,
Nullius se egere claritatis,
Quam quotidiè ab illo mystico mutuaretur cælo,
in quo Sol & Luna, & duodecim sydera, rutilanti gyro,
in vnam lucidam mixturam coalescunt.

ELOGIVM VI.

Cælestes hucusque in nostrâ Gemmâ,
Præcellentium virtutum colores suspeximus.
Angelicos nunc diuinosque,
tersissimum castitatis expandit sudum:
in quo non lucidas stellas;
sed Oceanum lucis, in multiplices radios erumpentem,
Contemplari licet.
Habent sanè hoc candidissimi aliarum virtutum vniones;
Quòd in eis diuina primigenia pulchritudo, primas aliquas ducat lineas.
Virtus tamen puritatis excellentiùs;
absolutissima imago, speculum, idea, exemplar est;
In quo desiderium illud collium æternorum,
dilectus omnis creaturæ,
omni tempore sese intuetur.
immò
Crystallinum illud cælum est, quod Deum dulcè detinet, dulcè reficit.
Nam sicut ipse ab omni concretionis corporeæ nube seiunctus est;
Amictus lumine sicut vestimento:
Ita castam generationem cum claritate, vt suum domicilium in delicijs habet.
Totus ipse spiritus, totus puritas, totus candor;
non permanet in homine corruptibili, qui caro est.
Hanc enim verò,
insignem præ alijs, Deo à quo sumpsit lucem, refudit,
Gemma nostra, omnium iam vnionum pretia, & præmia vincens,
CASIMIRVS.
Præcesserant illum ingentes totâ vitâ splendores:
eiusque virtutum semita,
Quasi lux splendens procesit, & creuit ad perfectam diem.
In mortis tamen occasu;
Non vmbras; quod terrenis corporibus proprium;
sed radios nitentes misit.
Tum demum cùm oculis humanis defecisse visus.

ab axe mortalitatis extremo, in altisſimum cæli ſcandens verticem.
Ad coronam gloriæ, lacteam caſtitatis viam nactus;
Tranſijt ſigniferi terrentes feras, atque altiùs eſt euectus.
& fuerunt quidem
Qui in illa victrice adverſorum Gemmâ,
Vt olim Pyrgoteles Alexandri, vel Apollonides Auguſti,
Humanas aliquas facies ſculpere vellent.
Huncque incomparabilem caſtitatis theſaurum,
in æquâ cum longiori vitâ lance appenderent.
Gemma tamen noſtra expendens
Malè prouideri æternitati, dum vitæ parcitur:
Corpuſque hoc, tanquam circumiectam ſibi vilem lacernam ſpectans;
Animi conſtantiam, roburque, in certamen cum morte miſit.
Hoc ipſo iam humanâ maior, iam auguſtior,
Iam nonniſi ſolum prototypon DEI ſui referens;
Quòd ſe in corpore, à corruptione corporeâ ſegregauit.
Immortaleque animi iubar dum cogitat;
mortalem corporis vmbram, deſeruit & deſpexit.
Ita Deo ſuo pleniſſima,
in medio florentis ætatis, & fortunæ curſu:
Cùm generis maieſtas, indolis vigor, populorum ſtudia,
in excelſas eam ſpes, & ſublimem fiduciam, erigerent eueherentque;
Originis cœleſtis memor,
Tam facilè perituros fulgores contempſit;
quàm feruenter appetiit æternos.
Gemmis omnibus, margaritiſque nitidior;
Corpus quod purum & immaculatum acceperat, ſimile relinquens;
Caſtam niueamque animam, inter innocuos anhelitus,
cæleſtibus aſtris intulit.
Iam ampliùs non gemma; ſed ſydus olympi;
Quod ſedentibus nobis in tenebris, & vmbrâ mortis,
Effert os ſacrum Cælo, tenebraſque reſoluit.